

*DE.* vellem quidem. *PH.* quid istuc est? *DE.* rogitas,  
Phaedria?

bonas me absente hic confecistis nuptias.

*PH.* eho an id suscenses nunc illi? *GE.* artificem pro-  
bum!

30 *DE.* egon illi non suscenseam? ipsum gestio  
dari mi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat  
lenem patrem illum factum me esse acerrimum.

260

*PH.* atqui nil fecit, patrue, quod suscenseas.

*DE.* ecce autem similia omnia! omnes congruont:  
35 unum quom noris omnis noris. *PH.* haud itast.

265

*DE.* hic in noxast, ille ad defendundam causam adest;  
quom illest, hic praestost: tradunt operas mutuas.

*GE.* probe horum facta imprudens depinxit senex.

*DE.* nam nisi haec ita essent, cum illo haud stares, Phaedria.

40 *PH.* si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,  
ex qua re minu' rei foret aut famae temperans,  
non causam dico quin quod meritu' sit ferat.  
sed si qui' forte malitia fretus sua  
insidias nostrae fecit adulescentiae

270

45 ac vicit, nostra[n] culpa east an iudicum,  
qui saepe propter invidiam adimunt diviti  
aut propter misericordiam addunt pauperi?

275

*GE.* ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.

*DE.* an quisquam iudex est qui possit noscere

50 tua iusta, ubi tute verbum non respondeas,  
ita ut ille fecit? *PH.* functus adulescentulist

280